

## PROLEGOMENA.

### §. 1.

Multa sunt efficientiæ, sive operationis genera, quibus humanus animus vim suam exserit: inter illa vero exstat quoddam singulare, quod in repræsentando et cognoscendo positum est.

Pro varietate ipsius efficientiæ, et modi, quo contemplari eandem licet, variæ sunt partes philosophiæ; cuius est scrutari, quid et quotuplex sit, quod animus efficiat; quænam sint leges originariæ, quibus adstringatur in efficiendo; quinam limites, intra quos effecturus se continere debeat.

### §. 2.

In repræsentando et cognoscendo sunt duo distinguenda, *subjectivum* et *objectivum*, sive *ideale* et *reale*, quæ censentur primitus ita inter se conjuncta, ut alterum per alterum determinari queat.

Quisquis sanæ mentis fuerit, quam maxime persuasum habet, esse se, et esse res extra se atque inter se et illas res eam communionem intercedere, ut, dum sibi conscius est repræsentationis et cognitionis, et esse quidquam iudicet, quod repræsentatum sit et cognitum.

A

§. 3.

Repræsentandi duo genera sunt, alterum *immediatum*, quod est intueri et sentire; alterum *mediatum*, quod est cogitare. Illud proxime, hoc ope immediati ad rem perceptam refertur. Ex his duobus tanquam elementis *cognitio* existit, nimirum repræsentatio, qua res non solum percepta est, sed etiam à ceteris rebus distincta.

Verbum intuen- di triplicem significationem patitur: primam etymologicam, multum restrictam, qua refertur ad visum; alteram ampliorem philosophorum usu, qua opponuntur intuitus et sensatio, ut hæc sit repræsentatio ad subjectivum, ille ad objectivum proxime pertinens: tertiam, itidem philosophis probatam, eamque amplissimam, qua omnis generis repræsentationes per sensus factas designat.

§. 4.

Animus cogitat, cum repræsentationes immediatas, id est, datas per sensus, quasi percurrit; varia, quæ sunt ipsis communia, nimirum notas tanquam partes excipit, atque in unum totum conjungit; quod totum *conceptus* sive *notio* dicitur, quoniam plures notæ in unam repræsentationem concipiuntur.

Uti repræsentationem immediatam *intuitivam*, vel *sensitivam* dicunt, ita mediatam *discursivam*; quia

mens quasi discurrit inter plures notas, ut easdem in unam representationem conjungat,

§. 5.

Cogitandi negotium dupliciter considerari potest: vel secundum se, cum representationes datæ ad se invicem referuntur, ut earum proprietates et relationes intelligantur, quin rerum, ad quas pertinent, habeatur ratio; vel conjunctim cum rebus determinatis, ut, quæ sit harum conditio, quæ sint relationes, planum fiat et exploratum. Prior considerandi modus logicæ, posterior metaphysicæ convenit.

Dum cogitandi negotium secundum se consideratur, abstrahitur à materia; reflectitur ad solam formam: quare leges, quæ præcipiuntur, non nisi formales sunt. Unde simul intelligitur logicam pro sua utilitate, quam aliis scientiis præstat, esse *organon formale*; non sufficere ad producendas novas cognitiones rerum; nec aptam medicinam habere, ad depellendas varias errorum species.

§. 6.

Logica, si vocis originem spectas, est scientia rationalis (*λογική* scilicet *ἐπιστήμη*) sive scientia legitime utendi ratione, sensu latiore, sive intellectu, id est, recte co-

girandi. Quamobrem *dianoëlogia* vocari potest.

Quamvis antiqui hanc partem philosophiæ rationalem apellarunt; eam tamen circa dicendum potius, quam cogitandum valere arbitrati sunt. Unde quoque accidit, ut logica quondam vocaretur dialectica (*διαλεκτική*, ars disserendi), et fundamentum rhetorices putaretur.

§. 7.

Logica vel *generalis* dicitur, cogitandi leges habens maxime universales, juxta quas omnis generis objecta cogitanda sunt, nimirum eas leges, quibus ad omnes scientias æqualiter pertinet; vel *specialis*, regulas continens, juxta quas certum quoddam objectorum genus cogitandum est; ejus modi regulas, quibus singulari cuidam scientiæ inservit.

Logicam generalem esse decet, ut in disciplinis philosophicis habere locum possit. Specialis varia est, pro scientiarum varietate, ad quas refertur; neque omnino formalis, utpote respiciens ad objecta, singulis scientiis propria.

§. 8.

Logica generalis *pura* est, vel *applicata*: illa leges continet, quæ sunt originarie sive primitus natura ipsius animi consti-

turæ; hæc simul respicit ad conditiones empiricas, tanquam limitationes subjectivas, a quibus legum istarum usus pender. Pura prior est, applicata posterior, ut partes unius ejusdemque logicæ.

Logica quibusdam visa est tum *naturalis*, tanquam summa cogitandi legum, quibus quisque citra perspicuam earum conscientiam obtemperat; tum *artificialis*, ipsa scientia, in qua cogitandi leges exponuntur. At male: nam logica, utpote scientia, tam parum, quam grammatica vel mechanice, naturalis dici potest. Quæ sunt ceteræ divisiones, ab aliis factæ, vel solido fundamento carent, vel ad hanc nostram divisionem facile revocantur.

---

# LOGICÆ

## pars prima.

---

### LOGICA PURA.

---

#### §. 9.

Logica pura itidem duas habet partes, *doctrinam elementariam* et *methodologiam*. Illa varias functiones animi, ad cogitandum pertinentes, secundum se considerat, et leges expendit, quas servare in cogitando decet: hæc varios operandi modos ostendit, qui, juvantibus illis legibus, cognitioni unitatem et nexum tribuant, ut scientiæ forma proveniat, id est, ut cogitationes ordinatissimum aliquod totum constituent.

Doctrina elementaria dispescitur in duo capita: primum agit de principiis, sive legibus cogitandi; alterum de cogitationibus tanquam elementis rectæ cognitionis,

# LOGICÆ PURÆ

## Sect. I.

### DOCTRINA ELEMENTARIA PURA.

#### Cap. I.

#### De principiis cogitandi.

##### §. IO.

Doctrina elementaria pura inchoatur ab hac positione: *ego cogito*; quæ, ut factum conscientiæ, per se omnino certa est.

Illa positio dicitur summum materiale principium logicæ, utpote quæ fundamento est, suam ipsi materiam confirmans.

##### §. II.

Ut quid cogitetur, opus est quibusdam repræsentationibus, ad hoc objectum cogitationis ab aliis objectis discernendum. Ejusmodi repræsentationes dicuntur *notæ* ( *χαράκτες* ), *determinationes*, *predicata* ( *κατηγορίαι* ): quibus simul sumtis conceptus sive notio efficitur.

Ut in videndo, sic in cogitando figendi objecti necessitas; quod satis observari animo non potest, nisi à ceteris separatum sit, suisque terminis inclusum.

§. 12.

Quod per notas cogitandum est, illud per eas ipsas sit cogitabile oportet.

An quidquam generatim cogitabile sit, nec ne, id determinatum est legibus, quæ rectam cogitandi formam constituunt. Quod cogitabile est, dicitur *ens logicum*, cui opponitur *non ens logicum*, sive nihil, quod cogitari non potest.

§. 13.

Notio alicujus entis et omnes ejus notæ sibi æquales sunt, sive identicæ. Unde fluit hæc generalis cogitandi regula: *quodlibet ens ipsum sibi æquale est vel consentit*: quod dicitur *principium identitatis absolute*, ac summum formale principium logicæ.

Hanc cogitandi legem illustrare solent hæc formula:  $A=A$ ; quam ideo formulam identitatis absolute vocant. Hæc solum manifestum fiat, opus esse, ut, cum ens aliquod cogitur, illius notio omnibus ejusdem determinationibus adæquata sit. Quare si desideratur quædam nota, enti conveniens; vel si reperitur aliqua, non conveniens; ipsa notio sic videbitur emendanda, ut addatur nota, quæ deest, vel quæ adest, tollatur. Sic quoque dum resolvenda est, notio; ipsius analysis non censebitur justa, nisi repertæ fuerint omnes notæ, quæ notioni omnino æquales sint. Hæc igitur æqualitas sive identitas summa cogitandi norma est.

§. 14.

Cum notio entis et omnes ejus notæ sunt identicæ; nihil in repræsentationem alicujus entis recipiendum est, quod repugnet. Inde nunc altera consequitur cogitandi regula: *ne ponas quidquam repugnans, sed tantum consentiens*: quod dicitur principium positionis (*Θέσιν*), vel etiam repugnantia vel consensus.

Notæ repugnantes sint, an consentientes, id est, in repræsentatione alicujus entis conjungi possint, an nequeant, id ex illarum conjunctione patet. Ex conjunctis una si tollit, vel non tollit, quod ponit altera; repugnantes sunt, vel consentientes.

§. 15.

Cum notio alicujus entis non recipit, nisi notas consentientes; determinationibus oppositis in eadem notione simul locus esse non potest. Quare statuitur hæc generalis cogitandi regula: *ex oppositis determinationibus non nisi unam licet ponere: quarum una si fuerit posita, altera tollenda est*: quod principium oppositionis (*ἀντιθέσις*) appellari solet.

Ut rectus certusque sit usus hujus regulæ, unus idemque cogitandi actus maneat oportet. Nam si mutatum fuerit objectum, vel diverse consideratum; ipsi sane oppositæ determinationes continere possunt.

§. 16.

Quaquam ex oppositis determinationibus non nisi unam licet ponere; fieri tamen potest, ut neutra ponatur, si dato quodam respectu objectum aliquod indeterminatum maneat. Quod si cogitabitur omnimodo determinatum; quam maxime opus est, ut quædam nota ipsi conveniat, vel non conveniat. Quare priori adjungitur hoc principium determinationis omnimodæ: *cuiusvis enti, quod cogitatur omnimodo determinatum, ex omnibus notis repugnantibus una conveniat vel non conveniat necesse est: quod etiam principium exclusi medii sive tertii, scilicet inter duo contradictoria vocari potest.*

Objectum omnimodo determinatum est in sola intuitione, tanquam representatione immediata ejusdem individui; quod genus determinandi logica non curat, hæc tantum suppeditat legem, juxta quam objecta per intellectum determinanda sunt.

§. 17.

Cum, ubicunque quid determinatum cogitatur, ex oppositis determinationibus una ponenda est; omnis vero determinatio, secundum se spectata poni potest; animus nihil omnino potest ponere, nisi

sit quidquam, quod ponendi necessitatem afferat. Illud vero, quod istam necessitatem affert, *ratio* (ὁ λόγος), et quod ideo ponendum est, *consecutio* (ἡ συνέσις) appellatur. Unde consequitur hæc generalis cogitandi regula: *ne ponas quidquam sine ratione*: quod *principium conjunctionis* (συνδέσµος) dicitur.

Ut alterum propter alterum recte poni possit, inter utrumque sit *nexus logicus*, sive *consequentia* oportet. Lex vero istam relationem inter cogitationes requirens, *principium rationis et consecutionis*, sive *principium consequentiæ* dicitur. Ratio vero vel in ipsis notionibus posita, vel aliunde repetenda est. Si primum evenit; insistendum principio identitatis absolute; sin alterum; adhibendum est principium identitatis relativæ: *consentiencia uni tertio consentiunt inter se*: quod commode illustratur hæc generali com-

parationis forma: 
$$\begin{array}{c} X \\ \diagup \quad \diagdown \\ A=B \end{array}$$

§. 18.

Cogitandi leges hucusque propositæ summarim hæc duo volunt, privationem repugnantiae sive consensum, et nexum logicum sive consequentiam: quæ sunt generalia criteria veritatis, *immediata et positiva* veritatis logicæ sive formalis; *me-*

*diata et negativa veritatis metaphysicæ sive materialis.*

Veritas generatim posita est in absoluta harmonia repræsentationum et cognitionum: quæ si provenit ex illarum accommodatione ad solas cogitandi leges, veritas formalis est, sive logica; si vero ex accommodatione ad leges, juxta quas ipsæ res cognoscendæ sunt, metaphysica est, sive materialis. Illius autem harmoniæ hæc prima est ac necessaria conditio, ut, quæ simul cogitanda sunt, non sibi repugnent, id est, consentiant, nec separentur à se invicem, sed inter se conjungantur. Hic consensus et nexus est character veritatis formalis, ejusdemque criterium immediatum et positivum: nam sic recte statuitur: quod non repugnat, et consequens est, id formaliter verum. Sed illud, quod repugnat, nec consequens est, cum tanquam existens cogitari non potest; ipse ille consensus et nexus est quidem criterium veritatis materialis, sed non nisi mediatum et negativum: nam sic tantum statui potest: quod non caret repugnantia, nec valet consequentia, id materialiter verum non est. Quæ sint immediata et positiva criteria veritatis materialis, discendum est ex aliis scientiis, circa cognitionis materiam versantibus.